

tecedens potestate, et causalitate, quia quando potentia in illo instanti consideratur ut principium cum potestate, et indifferenti iudicio ad eliciendum, consideratur ut potens, et indifferens ad utrumque; cum vero consideratur ut eliciens in actu cum suppositione, et reduplicatione quod elicit, non potest non elicere. Sed hoc est ex suppositione, et compositione actus jam egredientis cum actu opposito. Potest tamen etiam potestate illa antecedenti elicere, quia potest statim post instans cessare (ut jam dicemus) non tamen in eo instanti quo elicit, quia simul cessaret et eliceret, quod esset elicere et non elicere. Simpliciter autem est contingens in illo instanti, et non potest non elicere ratione illius potentie antecedentis, et in sensu diviso, quia cum incepit elicere potuit non elicere, et ad aliud divertere.

XXXIII. Dicendum est secundo, nullam esse necessitatem ut actus liber duret per aliquod tempus, sed posse immediate post instans sue elicentiae cessare, et desinere per ultimum esse, licet id non contingat pro hac vita propter alligationem anime in operando ad tempus, et ad motum corporalem. Prima pars probatur, quia actus in primo instanti, quo elicitur est liber (ut supponimus) quia procedit ex iudicio indifferenti, nec est aliquid quod cogat voluntatem necessitando; sed immediate post non mutatur natura istius actus, neque quoad indifferentiam iudicii neque quoad potestatem, et dominium voluntatis, quin potius crescere solet cognitio, aut indifferentior poni; ergo non est aliquid principium, unde ille actus reddatur necessarius. Nam sola temporis continuatio est aliquid valde extrinsecum, ut dicatur actus necessarius reddi, si non mutatur aliquid intrinsecum principium libertatis,

vel ex parte iudicii, vel ex parte potentie voluntatis.

XXXIV. Confirmatur, quia si actus liber necessario durat per aliquod tempus; ergo elicitio peccato, necessario per aliquod tempus homo est in peccato: ergo pro aliquo tempore non potest converti, sed est extra statum salutis. Patet, quia pro illo tempore non potest relinquere peccatum; ergo neque salvari, et sic non potest in quacumque hora ingemiscere peccator, et Deus illi propitiari. Imo si pro illo tempore peccator necessario manet in peccato; ergo pro illo tempore jam non peccat, quia actus ille necessarius est, nec ab illo potest cessare; cessante autem ratione voluntarii, cessat culpa. Et sic ista sententia implicat in terminis, nam ex una parte ponit continuari illum actum ut liberum, et ex alia necessario continuari. Si enim necessario continuatur, in illa continuatione non est liber; ergo non est idem actus, qui in instanti antecedente incepit, quia in illo instanti erat liber, dum autem continuatur est necessarius; ergo non continuatur, nec durat actus ut liber: ergo in ratione liberi non exigit necessario, quod continuatur.

XXXV. Dices: Illa continuatio oritur ex ipsa natura actus, qui non potest solum durare per instans, et ita debet aliquantulum durare, quia ex natura sua resistit corruptioni, et ita non potest statim desinere. Neque ex hoc amittit libertatem simpliciter, et absolute, sed solum ex suppositione quod incepit, quia sic debet legibus durationis temporalis regulari. Et urgetur hoc amplius, quia in nostra sententia (quam supra explicavimus) voluntas non potest se suspendere ab omni actu, sed solum potest divertere de uno actu ad alium; ergo elicitio aliquo in hoc instanti, non potest cessare

immediate post per suspensionem omnis actus. Nec iterum per elicentiam alterius actus, quia iste debet elici in instanti, cum sit indivisibilis, non datur autem aliquod instans immediatum, sed tempus, quia duo instantia non possunt esse immediata, ergo immediate post non potest alium actum elicere, ergo necessario durat in præcedenti.

XXXVI. Respondetur actum illum hoc ipso, quod est liber, non resistere suo principio a quo elicitur, ut ab illo suspendatur, quia cum libere procedat, non solum quando primo incipit, sed etiam cum continuatur, oportet quod ita procedat, et ita continuatur, quod contingenter procedat et taliter quod possit procedere et non procedere, continuari et non continuari, et sic potest in quacumque duratione, qua libere procedit, desinere. Et præterea, quia actus ille ita emanat a suo principio, quod dependet ab illo in fieri, et conservari, sicut lux a sole, et visio a potentia visiva, quæ si clauditur, cessat visio sine alio contrario corrumpente, et vincente resistantiam passivi. In his autem, quæ pendent in fieri, et conservari ab aliqua causa, non potest dari aliqua resistantia contra illam causam, quia non vincendo resistantiam, sed cessando ab actione, effectus desinit. Quod vero dicitur non amitti libertatem simpliciter, dico quod in continuatione actus amittitur libertas simpliciter, si remanet pro illo tempore actus necessarius, si quidem absolute pro tunc non potest desinere in natura sua, nec potest ab illo cessare voluntas.

XXXVII. Ad replicam dicitur, quod actus liber per se loquendo potest immediate post cessare, et durare solum per unum instans, ac per ultimum esse desinere, ut in Angelis, et in anima separata, qui habent operationes instantaneas, et

non subjectas tempori nostro. Per accidens autem ob statum conjunctionis ad corpus, in quo operationes anime subjiciuntur modo operandi per corpus, et ab eo dependent, ut diximus in secunda parte conclusionis, non possunt durare per unicum instans operationes istæ spirituales, nec desinere per ultimum esse, sed per primum non esse, et ad inceptionem alterius actus, qui incipit in instanti per primum esse, nec potest alter desinere, nisi ad hujus inceptionem. Et sic libertas actus prout in nobis, et ratione hujus status habet exerceri in tempore, et non præcise in aliquo instanti physico, bene tamen in instanti morali, quod aliquid temporis importat, supposito quod non potest desinere per totalem suspensionem actus (ut supra diximus) sed per alterius actus inceptionem, nisi forte immediate post instans incipiat somnus, et non sit in vigilia, tunc enim desinit actus, sicut per totalem suspensionem. Sed loquendo in vigilia cum non possit immediate post instans incipere alius actus, oportet quod prior duret in sua libertate per aliquod tempus, ratione hujus status, qui mensuratur tempore propter dependentiam a phantasmate, et sensu. Quod si propter eandem dependentiam, et alligationem ad motum, et ad tempus dicamus posse etiam aliquem actum non elici in instanti, sed incipere ad modum motus, et ita immediate post desinere prior actus, et incipere alius, non abnuo. Quæ sententia consonat D. Thomæ infra quæst. CXIII, art. VII ad quintum, ubi inquit: « Quod in Angelis successio non mensuratur tempore continuo, sed tempore discreto. Unde in talibus est dandum ultimum instans, in quo primo fuit, et primum instans in quo est id quod sequitur, nec oportet ibi esse tempus medium. Mens



autem humana quæ justificatur, secundum se quidem est supra tempus, sed per accidens subditur tempori in quantum subditur continuo. Et ideo judicandum est de ejus mutatione secundum conditionem motuum temporalium, ut scilicet dicamus, quod non est dare ultimum instans in quo culpa influit, sed ultimum tempus, est autem dare primum instans, in quo gratia inest. »

QUÆDAM PROPOSITIONES D. THOMÆ  
DECLARANTUR.

XXXVIII. Superest pro complemento hujus articuli aliquot propositiones D. Thomæ declarare præsertim in his duabus quæstionibus IX et X, ex quibus apertior fiet ejus mens, et doctrina quam in eis tradit circa principium motivum voluntatis.

XXXIX. Prima propositio est: Quid sit voluntatem moveri ex instinctu alicujus exterioris moventis in suo primo motu? Difficultas est in duobus. Primum in ly instinctu, quid vocemus instinctum: et an contraponatur huic quod est movere voluntatem se ipsam; et quæ impressio Dei sit illa motio per instinctum? Secundum est in ly primo motu, an dicatur voluntas moveri instinctu Dei in primo motu cujuslibet negotii, quod a prima intentione inchoatur. Hanc propositionem habet S. Thomas in hac quæstione IX, a. IV.

XL. Respondetur instinctum contraponi imperio, et ordinationi rationis. Quod enim facit ratio dirigendo, et ordinando, et imperando arbitrio suo, hoc in primo actu facit Deus, quia in illo non potest ratio se movere, et ordinare quid faciendum sit, sicut in aliis actibus facit imperio suo, et directione. Et ideo

oportet aliquid subrogari loco imperii, et directionis interioris, quod ab aliqua extrinseca causa proveniat, scilicet a Deo. Et hoc vocatur instinctus, quasi ab instigante externo fiat, sicut directio interna vocatur imperium. Et idem quod facit imperium respectu aliorum actuum, qui ab intra diriguntur, facit instinctus respectu ejus, quod in primo actu ordinatur, et proponitur faciendum a movente externo. Et ita D. Thomas infra quæst. XVII, a. V ad tertium inquit: « Quod cum imperium sit actus rationis, ille actus imperatur, qui rationi subditur. Primus autem voluntatis actus ex rationis ordinatione non est, sed ex instinctu naturæ, aut superioris causæ, ut supra dictum est, et ideo non oportet quod in infinitum procedatur. » Quare instinctus supplet imperium rationis in eo actu, in quo non potest ratio ordinare quid agendum sit, qualis est primus actus, de quo non potest ordinare, nec disponere, quia non præcessit alius prior, quo sic disponat. Et ideo disponi debet, et ordinari alio principio, et ordinatio ab illo proveniens dicitur instinctus. Et sicut imperium non est simplex ordinatio, et propositio intellectus, sed præsupponens efficaciam, et impulsus voluntatis, ex qua habet actus ille imperii efficax esse per participationem, et derivationem a voluntate, quæ movet intellectum, et reliquas potentias, ita ille instinctus a Deo proveniens utrumque participat, scilicet ordinationem, seu propositionem ex parte intellectus, quia sine intellectus manifestatione, et propositione objecti, non potest voluntas tendere, et secundo importat efficaciam ut acceptetur a voluntate, et moveat illam de facto, licet aliquando cum indifferentia, si moveat perfecte, et cum plena advertentia rationis, tunc enim actus erit liber; vel sine

indifferentia, si ex illo instinctu moveatur sine plena advertentia, ut in motibus primo primis. Itaque omnia quæ fiunt in nobis per imperium operatur Deus in primo actu per instinctum. Loquimur autem in præsentem solum de instinctu, quo moveatur voluntas nostra, non quo moveatur bruta, vel pueri, aut animales.

XLI. Ex quibus colliguntur tamquam ex principio plures decisiones circa plures difficultates theologicas, verbi gratia quod in primo actu ut regulato illo dictamine, seu ordinatione, aut instinctu Dei potest esse libertas, et meritum, non tamen peccatum, ut late tractavimus in secundo tomo, prima parte, circa quæstionem LXIII, agendo de peccato Angeli. Constat enim quod ille instinctus est sicut imperium a Deo proveniens, et impressum, et potest poni cum plena advertentia, seu cognitione, plena autem advertentia involvit indifferentiam judicii, alias plene non adverteret objectum, ex illa autem indifferentia nascitur libertas in voluntate, atque adeo meritum si sit ortum ex charitate. Non tamen demeritum, et peccatum esse potest, quia tota libertas illa, et indifferentia prout sic regulatur illo instinctu, et dictamine proveniente a Deo: ergo non est dictamen defectuosum, sed regula adæquata; ergo ex vi illius non potest nasci defectus, et peccatum in voluntate, quousque possit ex ipsius motu formari dictamen, quod non sit ex instinctu Dei, sed ex ipsa determinatione, et ordinatione rationis, et semper potest esse defectuosa, quia est a principio defectibili, et non habente sibi annexam regulam ipsam rationis indefectibiliter. Nilominus tamen licet in illo primo instinctu possit esse indifferentia, et ex illo nasci liber actus, quando fit cum plena advertentia, et scientia,

non tamen semper ita est, quia aliquando datur sine plena scientia, et advertentia, ut in motibus primo primis, et tunc non sequitur libertas in actu, sed movetur instinctu naturæ, sicut bruta; moveturque voluntas per modum naturæ, non per modum dominii, et indifferentiæ.

XLII. Secundo sequitur, aliud esse in actibus voluntariis libere elicere actum, aliud deliberate se movere ad actum, et bene potest operari libere, et non deliberate, nec se movendo, ut in primo actu. Quod aliqui minus bene intelligentes putaverunt in primo actu voluntatem passive se habere, non active. Sed hi non distinxerunt de eo, quod est active se habere, in eliciendo actum, et de eo quod est active se habere, movendo se, et deliberando. Etenim ad libere eliciendum sufficit, quod voluntas eliciat actum cum dominio, et indifferentia, saltem in exercitio, ita quod ex meritis objecti, nec ex aliqua causa effective influente, aut judicio proponente necessitetur ad unum, sive hoc judicium movens, et determinans ordinetur ab ipsomet homine cooperante Deo, sive a solo Deo, qui est auctor, et primum principium omnium illorum actuum. Ad hoc autem ut deliberate procedat, et se moveat, oportet quod ex aliquo priori actu se reducat in alium, quia movere non est præcise elicere actum, sed reducere de uno ad aliud, de potentia ad actum, ad quod requiritur, quod sit in aliquo actu, et non in pura indifferentia ad omnes, quia nihil reducitur in actum, nisi per actum, non per puram potentialitatem, et indifferentiam. Unde si voluntas sit indifferentia ad omnes, ut cum primo producitur, oportet ab aliquo principio exteriori, quod sit in actu, moveri et determinari, scilicet a Deo. Et tamen licet movea-



tur a Deo, debet voluntas non passive se habere in eliciendo illum actum, sed active; ad hoc quippe movetur, et agitur a Deo, non ut nihil omnino agat, sed ut agat; movetur quippe ut velit, et velle actus vitalis est, et a principio activo, et non mere passive procedit. Et sic moveri est applicari ab alio, seu reduci de potentia ad actum: elicere autem est proferre actionem. Et bene stat aliquid active ex se elicere, et ab alio moveri seu applicari: sicut oculus applicatur ad videndum a voluntate, elicit autem visionem a sua virtute. Nec Deus est agens quod in ista prima volitione, et voluntas solum agens quo, licet sit mota, quia Deus est agens primum, non agens quod proximum; hoc enim est ipsa persona, seu suppositum hominis, respectu ejus voluntas est principium quo, sicut reliquæ potentiæ ut sensus, et intellectus, in quibus tamen non dicitur Deus esse agens quod proximum, sed primum et separatum, sicut est agens respectu ignis, et aliorum agentium naturalium, cum quibus concurrat, et quæ movet.

XLIII. Sequitur tertio ex hoc principio desumi explicationem gratiæ operantis, et cooperantis, de qua agitur infra circa quæstionem tertiam, tractantes de divisionibus gratiæ. Dicitur enim gratia operans (loquendo de gratia actuali, quæ est auxilium) illa Dei operatio, qua per se solum movet voluntatem erga volitionem de qua non deliberat, nec se ad illam movet voluntas, sed movetur a Deo, quod dicitur Deus se solo operari, id est, movere, quia non ex aliquo actu præcedente se movet voluntas; aut quia est simpliciter primus in aliquo negotio, ad quod in se principium non habet, sed potius in oppositum, ut ex peccato convertitur ad Deum. Cooperans autem dicitur gratia, quæ simul concur-

rit, et influit cum voluntate, ut se moveat, et ut eliciat actum, quia tam ad eliciendum, quam ad se movendum indiget concursu Dei simultaneo. Nunquam tamen ad eliciendum præcisæ datur gratia operans, quia non datur elicientia actus, quæ a solo Deo fiat, cum omnis actus elicitus a voluntate sit volitio, aut nolitio, qui sunt actus vitales, et consequenter ab ipsa active procedentes, non a solo Deo facti, et passive in voluntate impressi, et recepti. Et sic voluntas in primo actu volitionis se habet ut agens principale quod, utpote cum sit vitale principium illius actus, vitale autem principium non potest intelligi per meram receptionem passivam, sed per elicientiam, qua ex se operetur, ut in materia de gratia amplius dicitur. Potest ergo solus Deus movere voluntatem, et imprimere ut velit; non potest solus elicere. Et sic gratia quæ solum est operans, et non cooperans, intelligi debet quod sit operans in movendo, non in eliciendo; sed de hoc latius infra circa quæstionem tertiam, agendo de divisionibus gratiæ.

XLIV. Quarto sequitur, quid Deus agat movendo voluntatem per instinctum, an solum moraliter media propositione intellectus; an etiam physice, id est, intra voluntatem operando, et non solum medio objecto movendo. Dicimus enim quod cum instinctus ille afferat executionem, et non solam sufficientiam ex parte manifestationis, et propositionis objecti, oportet quod Deus non solum per intellectum operetur in voluntatem, sicut quæcumque persuasio, aut illuminatio, vel propositio intellectus, sed etiam intus inspiret, et agat in voluntatem applicando ipsam sicut et cæteras causas, quas movet et reducit de potentia ad actum. Nec enim minus subiecta est Deo ipsa voluntas, etiam ut

libera, quam aliæ causæ, quia omnes creatæ sunt, et in potentia, et subordinantur ad hoc ut agant causæ primæ, multo magis quam aliis causis, et sic egent actuacione Dei, et subministracione virtutis ejus. Et multo magis causa libera, quanto magis in potentialitate est ob suam amplitudinem, et indifferentiam quæ non solum dominium fundat super actum, sed etiam suspensionem, et indeterminationem ad hunc actum, et hanc tolli indiget, illam vero perfici, et actuari, id est, indifferentia suspensiva, et indeterminativa debet tolli, ut quis operetur, quia dum est in perplexitate, et suspensione quis non operatur. Et hæc a nulla creatura sufficienter, et infallibiliter tolli potest propter voluntatis exemptionem ab omni limitato objecto, a quo sufficienter moveri, et physice agi non potest: indifferentia autem dominativa, quæ consistit in potestate illa universali operandi, vel cessandi, hæc non tollitur, per talem determinationem, sed perficitur, quia determinatio illa est actuale exercitium illius potestatis; sic enim datur ad exercendum istum actum in particulari, quod ex modo, quo datur et operatur potest potentia antecedenti non operari, licet potentia consequenti, et in sensu composito non possit.

XLIV. Quantum ad secundum supra quæsitum, an instinctus iste Dei requiratur solum pro solum pro primo actu simpliciter; an pro omni primo actu in quolibet negotio, difficultas est pro una parte, quia si solum pro primo actu totius vite Deus debet movere instinctu suo voluntatem, ruit D. Thomæ fundamentum in hac quæstione IX, art. IV, videlicet, quod quia voluntas non semper voluit aliquod objectum, verbi gratia sanitatem, oportet quod incipiat velle ab aliquo movente. Et quidem si ipsa move-

ret, hoc deberet facere mediante aliquo consilio, quod consilium fit ab intellectu ex aliqua voluntate præsupposita, quæ ad consiliandum movet, et cum ipsa voluntas rursus incipiat de novo ex aliquo movente, et non sit procedere in infinitum, oportet devenire in primum motum voluntatis provenientem ex aliquo exteriori movente. Hic autem discursus procedit in quolibet primo actu, et negotio, quod incipit voluntas, si quidem multoties incipit aliquid, quod connexionem non habet cum volitis usque ad illud tempus, imo totaliter solet mutari in oppositum, quod ante voluit, et odio posequi quod amabat; modo detestatur vitium; modo ruit in illud; modo quiescit operari per somnum; modo incipit aliquid, quod nusquam ante cogitaverat. Ergo in qualibet ista nova mutatione indiget aliquo movente, et non per consilium, quia hoc agitur ex aliqua voluntate præsupposita: ergo ex instinctu. Nec potest reduci hoc solum ad aliquod novum movens objective, seu ad objectum de novo occurrens; tum, quia sæpius non ex occurso objecti, sed ex sua phantasia incipit, tum, quia tam objectum occurrens, quam phantasia novens, non sufficiunt movere nisi in quodam genere causæ, scilicet objective, et allicitive, sed efficienter non potest ab objecto quis moveri, cum solum in genere causæ specificativæ moveat. Oportet ergo assignare in quolibet primo actu novum motum etiam in genere causæ efficientis.

XLV. Ex alia vero parte, si in quolibet primo actu cujusvis negotii occurrentis debet voluntas a Deo moveri per instinctum, sequitur aliud majus inconveniens ex alio fundamento D. Thomæ, videlicet, in nullo negotio posse aliquem incipere peccando, quia alias refunde-